

cet: *Te aliquando furatum esse*: aliàs enim non desisses. Neganti reget: *te adhuc furari*. Respondendum itaq; distinctè: *Nec desii, nec furtum commisi*.

Quærentibus ita vicissim quærendo respondendum: *an desierint sophisticè & periculosè quærerere*? Qui si benè responderint, & tibi responsionem subministrabunt.

Apud Laërtium l. 2. c. 18. Menedemus cuidam percontanti: *an patrem verberare desisset*? rectè respondet: *neq; verberavi neq; desii*.

Hæc plurium interrogationum fallacia latere solet in quæstionum *subjectis*, vel *prædicatis* ambiguis. ut si quærat: *An Apostolus Judas fuerit electus*? In prædicatione latet ambiguitas: Quia *electio* alia est ad vitam æternam, alia ad officium.

Si quærat: *an fides quoq; cadat in diabolos*? In *subjecto* latet ambiguitas: siquidem *fides* alia est *historica* tantum, alia *salutifica*.

Ad hujusmodi quæstiones non est respondendum prius, quàm explicata fuerit  
ambi-